DE

BRE INTERMITTENTE

VARIISQUE

US CURANDAE METHODIS IN CLINICO NOSTRO TENTATIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

VERSITATE LITTERARIA GRYPHIENSI

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

1830

DIE XXII MENS. DEC. A. MDCCCXXX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

NESTUS LEOPOLDUS ESSIGER

LUBBENA - LUSATUS.

OPPONENTIBUS:

C. SCHMIDT, MED. ET CHIR. DD.
J. VISELIO, MED. ET CHIR. CAND.
J. WENZEL, MED. ET CHIR. CAND.

GRYPHIAE

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. UNIVERS. TYPOGR.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO,
AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO

F. A. G. BERNDT,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI,
EDICINAE PRACTICAE, ARTIS OBSTETRICIAE ET ME-
CINAE FORENSIS PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,
INICI MEDICI ET OBSTETRICII, NEC NON NOSOCOMII
OVINCIALIS DIRECTORI, PLURIUM SOCIETATUM LIT-
TERARUM SODALI, T. T. DECANO,

PRAECEPTORI

SUMMOPERE COLENDO,

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

SUMMA QUA PAR EST REVERENTIA

CONSECRAT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

ıx longo jam temporis ſpatio, quo therapiae eciali ſtudium impendi, prae caeteris morbis brem intermittentem, mihi ſemper operae etium videbatur, accuratius pertractare. ıamquam enim ſat multa, ut in quavis mecinae disciplina, ita in therapia ſpeciali, oclta ſunt, necdum ſatis detecta, typus tamen orborum, interdum mirum in modum conns, ſed cujus vero natura pertinaciter hucque viros doctos fugit, imprimis me allexit. unc vero typum in nullo morborum genere culentius videre licet, quam in febribus inrmittentibus, quae omnino proprium genus nſtituunt morborum, nec ad acutos omni jure, c ad chronicos referri poſſunt, ſed medium ter utrumque ordinem tenent, modo huic, odo illi magis appropinquantes. Cum mihi clinico noſtro occaſio conceſſa eſſet, ut plunas febrium intermittentium novas curandam methodos tentarem, animus, legibus acamicis ſatisfacturus, me tulit ad illas ſtrictim odo, quia alias vires vix ſufficerent, delineandas. ectores benevoli faveant et tironi, ſi erraverit, noscant.

Febris intermittentis definitio.

Febris, quae ita accedit deceditque, ut inter quemlibet paroxysmum liberum ſpatium, apyrexia, relinquatur, intermittentis nomen adipiscitur. Quem morbum a primis inde temporibus a medicis obſervatum eſſe, inter omnes conſtat, qui febres noſtras in Hippocratis atque Galeni ſcriptis διαλείποντας πυρετοὺς denominatas ſpectant. Febres intermittentes certo periodorum, quibus accedunt, numero morbum praebent temporibus interjectis liberis atque paroxysmis compoſitum, ita ut non ſolum unumquemque acceſſum pro vera, ſed breviſſimum vero temporis explente febre, verum etiam omnium acceſſuum ſyndromen, et quo ſe invicem ſequuntur, tempore et quem in organismum faciunt relinquuntque impetu, pro morbo univerſali habere cogamur.

Varia frebrium intermittentium genera atque typi.

Varia ſtatuere licet febrium intermittentium genera a variis typis, ut hoc fundamentum diviſionis primum exponam, profecta. Si enim quotidie acceſſio adeſt, quotidiana, ſi alternis diebus, tertiana, ſi quarto quoque die, quartana febris nominatur. Extant quidem in libris therapeuticis exempla febris quintanae,

xtanae, feptanae, etc. nonnullis vero fides de-
ganda eft, aut fi quae ob auctoritatem cli-
corum rejici non poffunt, rariffime tamen
nedicis obfervantur, hae febres fimplices vo-
ntur; fi vero febris binas facit acceffionis eo-
m temporis fpatio, quo una alioquin contin-
t, typus duplex exftat febrisque duplicata
dit; fic 1) quotidianam duplicatam, 2) ter-
ınam duplicatam, 3) quartanam duplicatam
fervavimus. Ifte febrium intermittentium
pus vel fixus eft, ubi acceffiones certum or-
nem certamque periodum fervant, vel vagus
paroxysmi nulli fe ordini aut typo obftrin-
nt. Febres cum typo fixo periodicae, fi typus
gus eft, febres erraticae audiunt; typus vagus
ro aut anticipans, quando acceffio maturius,
ftponens, fi ferius exiftit. Ex alio divifionis
ıdamento, ab anni tempore derivato, febres
ermittentes vel vernales funt, vel autumna-
, illae mitiores brevioresque a Februario ad
guftum, hae graviores diuturnioresque ab
gufto ad Februarium incidunt. Omittenda
n eft divifio febrium intermittentium in be-
gnas et malignas f. perniciofas, prae caeteris
bemus Francisco Tortio, medico experientif-
ıo; malignae enim nominantur febres, quae,
amquam periodice intermittant, et, benigna-
n inftar, libera habeant intervalla, in accef-
nibus tamen aut *comitatae* funt et ftipatae
quo periculofo fymptomate, quo aegroti vita
discrimen adducitur, aut *fubcontinuae*, quae
e ullo peculiari fymptomate, varia et mul-
lici intermiffione, ad continuitatem acutarum
do lente, modo feftinanter tendunt. Ubi
ue comitatarum neque fubcontinuarum figna

adſunt, febres *benignae* audiunt. Tortii ſen-tentiam qui ſequuntur etiam comitatas in dua genera dividunt, quorum alterum eſt *colliqua-tivarum*, alterum *coagulativarum*.

Colliquativarum ſpeciebus adnumerantur a)Dyſenterica; b)atrabilaris; c)cardiaca; d)dia-phoretica?; *coagulativarum* autem a) ſyncopa-lis; b) algida; c) lethargica. Sed haſce diviſio-nes patet nequaquam omnes continere comitata-rum ſpecies, plurimae enim ſpecies, rem ſi ita tractare velimus, his adnumerentur oportet quales ſunt: pleuriticae, catarrhales, rheumaticae arthriticae, ſcorbuticae, petechizantes, ſpasmodi-cae et aliae. Neque praetermittendae ſunt quae-dam febrium ſpecies, quae, etſi curatioui inſti-tuendae non inſerviant, memorabilium tamen ſymptomatum cohortis cauſa recenſendae ſunt inter quas, aliis omiſſis, *hemitritaeus* praecipue ſpectandus, qui febre quotidiana et tertiana componitur; Hippocratis epiala et Galeni, in qua frigus perpetuo rigore obtinet aut aegri, exterioribus partibus caloris gradum naturali majorem exhibentibus, ſimul et calere et fri-gere ſibi videntur; *Lypiria*, in qua, dum inte-riora uruntur, extrema et exteriora algent; *Aſodes*, febris ſumma nauſea et continua cor-poris jactatione juncta; *Typhodes*, ingenti aeſtu et ſtupore diſtincta; *Elodes*, ſ. ſudorifera dicta, quod perpetuis ſudoribus ea detentus diffluit, et aliae. His vero, cum ſat multae ab auctori-bus recenſeantur, relictis, ex morbi ipſius cha-ractere depromptam jamjam exponam diviſio-nem, quae ipſa viam ad curam rite inſtituen-dam, ut infra demonſtrabitur, exhibet. Omnes

ores intermittentes aut ſimplices ſunt aut comſitae, et quidem triplici modo aut ſtatu inmmatorio, aut gaſtrico, aut nervoſo.

Infra fuſius de compoſitis diſſeram, jam nptomata febris intermittentis ſimplicis excabo.

bris intermittentis ſimplicis ſtadia.

Prodromorum, qui febris acceſſionem plus nusve propinquam praemonent, haec plerume obſervantur ſigna; ſtatus ſenſorii communis enatus, variis cauſis occaſionalibus, nauſea ıeſertim et compreſſionibus in praecordiis ıuctus, guſtus jejunus aut metallicus, capitis ıvedo cum inſolitis alternans in cervice et ocıite tenſionibus etc. Quae opportunitatis aenomena cum quadrantem aut dimidium rae expleverint, ut plurimum in magis eſſenlia defatiscunt ſymptomata.

In omni enim vera febre intermittenti tria dia, quae percurruntur, ab unaquaque acceſne conſiderari ſolent.

I. *Stadium frigoris*, quod tribus quoque ıdibus diſtinguitur. Primi gradus ſtatus, quo pus univerſum vel aliquae partes frigent idem, ſed neque cutis tremit, neque membra ıcutiuntur, *refrigeratio* vocatur; ſequitur ıdus ſecundus, quum cutis et contremiscere letur, isque *horroris* ſeu horripilationis hic mine deſignatur; tertius denique *rigor* dici-, quum membra quatiuntur et agitantur. univerſum frigoris ſtadium hunc facit decurn; incipit a ſenſu frigoris interni, horripilanibus, formicatione per ſpinam dorſi, crebra

oscitatione et membrorum pandiculatione, quibus ſuccedit laſſitudo, gravitas, debilitas totius corporis; ſenſim ſenſimque pallor faciem occupat et augetur ad algorem usque, in quo ungues et labia livida apparent, volumen corporis deminutum, pulſus parvi, duri, celeres, inaequales, reſpiratio brevis, celeris, ſitis vehemens, potu haud ſedanda, urina tenuis, aquea, haud raro nauſea et vomitus obſervantur. Haecce omnia ad quadrantem durant, dimidium horae aut ad horam unam, duas, raro plures.

II. *Stadium caloris:* Algoris vehementia ſenſim ſenſimque deſinente, caloris ſtadium ita generatim oriri ſolet, ut aeſtus, initio modicus, dein vero vehementiſſimus, imo exurens interdum, per totum corpus aequabiliter diffundatur. Stadio primo ad ſinem vergente ſaepius calor volatilis ſupervenit, priusquam horroris ſenſatio ex toto evanuerit; nec hoc in caſu utriusque ſtadii ſines ſatis diſtingui poſſunt. Cutis imprimis in facie turget, rubicundior ſit et mollior, ſicca tamen manet; totius corporis ambitus augeri videtur; pulſus initio parvi contractique ſenſim ſenſimque explicantur, duri, fortes atque crebri redduntur. Reſpiratio lentior, profundior, liberior evadit, aegrotorum tamen inquies univerſalis non ſolum remanet, ſed etiam ſaepius adaugetur, os ſiccum eſt, ſitis continua. Plerique aegroti hoc quoque in ſtadio cephalea vehementiſſima pulſibusque ad tempora laborant, praeterea dolores dorſales accedunt. Senſuum quoque ſenſibilitas magnopere increscit, oculi lucis ſplendorem evitant, aures ad omnem ſonum ſenſibiles. Nonnulli aegroti ſummo

ore cruciati in soporem incidunt atque deli-, id quod in infantibus saepius observari licet. vissima temperaturae mutatio statim refrige-ionis instar horrorem excitare solet; urina, ae mittitur, tincta, ignis colori simillima. que haec symptomata per aliquot horas con-uantur, donec calore sensim decrescente, cu-ue humida apparente, caloris stadium transit crisin.

III. *Stadium sudoris seu criseos.* Sensim ore deminuto sudor universalis primo faciem remitatesque superiores, postea totum cor-s occupat, sitis remittit, lingua humidior, lsus tardiores, respiratio mox normalis eva-nt, cephalea, anxietas et si quae aderant ga-ca symptomata cessant, urina, nunc rubi-ida et lateritio sedimento praedita est; levis mum supervenit aegrotum somnus, quo mi-s sensus lassitudinis eum prorsus reliquerit. sce omnibus absolutis, apyrexia existit, quae perfecta, ut prorsus bene se habeat aeger, non perfecta est, si symptomata quaedam nanserint paroxysmi. Hic jam delineatus ursus in omni quidem regulari febre inter-ttente observatur, saepius tamen ab hac norma malia. Huc pertinet, si febris intermittens um anticipantem aut postponentem habet, si oxysmus cum periculoso quodam sympto-te accedit, e. c. cum summo algore, spasmis, cope, tussi, haematemasi. Interdum etiam gula stadia non ex more se invicem excipiunt, indoque etiam frigus calore supervenit, pa-ysmus sudore non finitur, immo nonnun-am universae accessioni frigus finem imponit.

Occurrunt etiam febres intermittentes, quae ſub aliorum ſpecie morborum, ſine ullo febris ſigno periodice accedunt, cujus generis ſunt hemicrania, ophthalmia, colica, cardialgia et alia, quae quidem febres intermittentes larvatae audiunt.

Morbi univerſalis deſcriptio et decurſus.

Morbi periodorum ſeries, quas vario temporis ordine apparere variaque temporis ſpatia explere ſpectamus, univerſum nos docet morbum, in vario formationis gradu, et varia natura inveniendum. Ubi febris intermittentis puram meramque formam obſervamus, omnia manifeſtum indicant ſphaerae dynamicae pathema, vegetationi, durante paroxysmo, ſecundario tantum modo infeſtum. Quod quidem pathema dynamicum, crebro excitatum, conſuetudinis lege tantam in corpore relinquit impreſſionem, ut, ſanatione etiam veriſimillima exorta, ad recidivas diſpoſitio diutiſſima pertinaciſſimaque, morbum per omnes ejusdem proceſſus et progreſſiones comitetur.

Quodſi morbi proceſſum a primo febris intermittentis initio usque ad ſymptomata laeſae totius vegetationis progredientem conſideramus, varii formae gradus diſtinguendi ſunt, qui morbi naturae dignoscendae inſerviunt. Primum febris intermittens morbus conſpicitur, cujus cauſa plurimum in dynamico vitae factore requirenda eſt, quae, ubi paroxysmus evanuit, nullas relinquit ſequelas. Gradum huncce primum, leviſſimumque morbi, febrem intermittentem ſimplicem, recentem nuncupamus, quippe quae nec pendet a cauſis gravioribus, nec ullam relinquit

getationis universalis affectionem. Morbum men, ab initio simplicem, accedentibus causis casionalibus, facili negotio complicationes ultifarias pati posse, non puto quemquam fore, ui non intelliget.

Si vero paroxysmi saepius iterantur vel athesis individui asthenica faveat, febrem inrmittentem haud tam puram invenimus; vetatio enim laesa initio cachexiae serosae signa aebet, quae qnidem cachexia a debilitata mphae sanguinisque praeparatione dependere detur. Morbi processus, qui nova recepit ementa, aliter spectandus est atque curandus. aque febrem intermittentem constat cachexia mplicatam esse.

Tertio denique morbi processus gradu ferem non solum cachexia, sed etiam viscerum dominalium alienationibus organicis complitam spectamus. Perspicuum est, huncce morum initio simplicem, nunc vero multipliciter mplicatum novum recepisse elementum, cujus cura ratio omnino habenda sit. Febris interittens in unoquoque horum trium gradu ad nem potest pervenire, in sanitatem rediens aut alios morbos transiens, aut morte finem asquens.

Secundum variam naturam, typum, aegroti nstitutionem et alia febres intermittentes dirsis modis durare et finire solent. Vernales tius et mitius autumnalibus decurrunt, quodiana saepissime spatio quatuordecim dierum rcumscripta, vere inprimis accedit ita, ut sinılae accessiones tempore fiant matutino; terana per tres septimanas perdurans meridie acdere solet; quartanae, cui pertinacissimae au-

tumnus favet humidus, accessiones versus vesperam fiunt, quibus saepenumero organismus vehementer afficitur, ut tumores et obstructiones viscerum, icterus, hydrops, tabes, aliique morbi sequantur; quae quidem sequelae in febre quotidiana et tertiana rarius observantur.

Aetiologia.

I. *Causa proxisma.* Ad hanc quod attinet, medicorum omnium temporum opiniones ita inter se discreparunt, ut hypothesium numerus enormis fere nuncupari possit. In duas vero classes commode dispescuntur, quarum prima causam quamdam materialem, acrem aut acidam, in humoribus naturalibus latentem, agnoscit, quum altera morbi naturam in affectione dynamica systematis nervosi consistere contendat. Tissotius et Reilius, praeeunte Jonesio, Borellio, Boerhavio et Swietenio, hancce sententiam amplectuntur; nuperrimis vero temporibus Baumgaertnerus fusius de natura morbi dynamica sive nervosa disseruit. Causae, statim recensendae, ex sententia illorum, symptomatum essentialium seriem potissimum ab ordine nervorum organicorum dependere arguunt. 1) Quidquid febrem intermittentem moliri valet, huic systemati simul infestum observatur. 2) Quumcunque fere febrem intermittentem affectio vegetationis organorumque, legi nervorum gangliosorum obtemperantium, sequi solet. 3) Chinini efficacia specifica ad morbum expellendum, commercium quoddam indicat febrem intermittentem inter et nervos organicos. 4) Experientia denique satis explicavit, quemvis morbum periodicum originem ducere ab organis, quorum

rvi a fyftemate gangliorum progrediuntur. ›ibus pofitis Baumgaertnerus a veritate haud enum credidit, nervofum quoddam fupponere ·idum, aequabiliter in ftatu normali a centris rvorum ad fingulos ramos diffufum. Prout ro hujus fluidi naturalis per nervos diftribu- › perturbatur, huc illucve citra normam con- ratur neceffe eft, nec in integrum reftitutio ·randa, priusquam praeternaturalis haec ac- mulatio expulfione quadam in remotas par- ·, uti cerebrum, medullam etc., ex toto eva- erit. Proceffus, quo hac fluidi nervofi reten- › five accumulatio tollitur, illi fere equipa- ıdus, quem in lagena materia electrica nimis ›leta obfervamus; exorta nempe fponte fcin- la electrica, materia exhauritur. Equidem ›ris intermittentis caufam proximam indaga- rus, fententiam praeceptoris fautorisque Ill. rndt fequi, quae, etfi in univerfum hypothefin umgaertnerianam amplectetur, in eo tamen eadem difcrepat, quod morbi progreffionis ·s ftatuit gradus; quorum primus fimplicem ›ris formam defignat, confiftitque in vera af- ·tione dynamica five turbata nervorum orga- ·orum ratione, fecundus vero labem vegeta- ·nis ipfius jamjam indicat; tertius et fummus ıdus organorum vegetationi infervientium ia graviora demonftrat. Quibus pofitis haud nere me judicaturum effe arbitror, fi febrem ·ermittentem tam dynamicum quam materia- n morbum effe cenfeam.

II. *Caufae cosmicae.* Medicinae hiftoria cet, quibusdam temporum periodis febres ermittentes per multas regiones terrasque

graſſatas. Quae phenomena mihi videntur haud aliter explicanda, niſi ut concedamus, noſtrae terrae quaſi inſtitutionem, mutata conſtellatione, aeque ac corpora noſtra, et loco et vitae conditionibus mutatis, poſſe mutari. Proximus quem mutatata atmoſphaera excitare ſolet, in corpus humanum, effectus in eo conſiſtere videtur, ut ad febres intermittentes univerſales exoriatur diſpoſitio: praeterea ubi morborum gaſtricorum, qui eo tempore graſſantur, rationem habemus, vitalitatis ſtatum aſtheniae plerumque favere ſpectamus. Itaque univerſalis conditionibus cosmicis excitata morbi diſpoſitio ad debilitatem referenda eſt atque alienationem gangliorum nervorum, vegetationi inſervientium. Variae quoque tempeſtates annique temporum circuitus et ad excitandas et ad ſuſtentandas febres intermittentes vim habent magnam. Cujus rei exempla uniuscujusque anni et vernali et autumnali tempore invenire licet; neque medicorum intentorum oculos fugit, tempeſtatem pluviam atque gelidam illas febres praecipue reddere pertinaces. Quam quidem febrium pertinaciam ſolo humido adaugeri in Hollandia et aliis regionibus multa ſunt, quae docere poſſint, argumenta. Quocirca Gas hydrogenicum remotas febrium intermittentium cauſas perſcrutantibus inprimis ſpectandum; nec non conſtitutionem gaſtricam graſſantibus febribus ſaepiſſime conjunctam eſſe, experientia compertam habemus.

III. *Diſpoſitio peculiaris.* Praeter univerſalem e ratione cosmica exortam diſpoſitionem, ſingularem quoque individui diſpoſitionem ex-

erientia docet eſſe accipiendam atque proban-
am. Juvenes, ſecundum noſtrum aegrotarum
ıdicem, a febribus intermittentibus ſaepius,
uam qui aetate progreſſi ſunt, corripi videntur.
uem *debilitate viſcerum abdominalium ſtatu
ffectum*, dyspepſiam ſaepius culpantem, per-
pimus, is omnino ſingulari ad febrem inter-
ıittentem diſpoſitione laboret oportet. Deni-
ue impreſſionem nervoſam vel alienato orga-
orum abdominalium ſtatu vel totius organismi
eminuto formandi niſu effectam febres no-
ras recidivas ſaepiſſime gignere, non puto omit-
ndum.

IV. *Cauſae occaſionales.* Febrium inter-
ıittentium cauſas occaſionales tantum conficere
umerum, quantum hic ex toto ambitu am-
lecti non poſſimus, unusquisque medicorum,
ui illas febres paullo diutius curavit, facile
erſpicit; illarum igitur frequentiſſimas enu-
ıerari mihi propoſui.

1) *Refrigeratio*, cutis ſpasmum plexusque gangliorum receptivitatem alterans, omnino frequentiſſima cauſarum occaſionalium, temperiei viciſſitudine ſaepiſſime exoritur. Ex iis, quae ſupra jam dicta ſunt, perſpicuum eſt,

2) *Conſtitutionem ſtationariam* gaſtricam exorientibus inprimis favere febribus intermittentibus, itaque cruditates illas facillime excitare.

3) *Evacuationes profuſae* vegetationem praecipue debilitantes, primas crebrius affeсrunt cauſas; eodem quoque modo ſuppreſſae ſecretiones atque excretiones, quales

ſunt fluxus menſtrui, haemorrhoidum, ex-
anthematis herpetici, ſudoris pedum ſup-
preſſio; ulcerum juſto celerior atque in-
epta cura febres intermittentes excitare
poteſt. Quod ad illarum contagionem per-
tinet, non puto me parem eſſe ſententiae
certo expromendae; diverſiſſimae cauſae
ex quibus febres intermittentes oriri vide-
mus, quominus illarum contagionem certo
probemus, prohibent. Denique reſtat, ut
commemorem.

4) *Animi affectiones imprimis deprmentes* fe-
bribus noſtris mirifice favere; quantum
vero imaginatio et ad excitandas et ſanan-
das valeat febres intermittentes, quotidiana
nos docet experientia, res magis verbis,
quam ratione noſtra explicanda.

Prognoſis.

Si generatim rem perpendas, prognoſis in febribus intermittentibus melior eſt, quam in remittentibus. Jam apud Hippocratem extat aphorismus, „febres quocunque modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificatur." Febris intermittens ſimplex et levis ſaepe ſine remedio ſanatur, quo diutius vero duravit, quo majora et urgentia ſymptomata in paroxysmo accedunt, eo majus periculum. Diverſa prognoſis eſt pro charactere febris, pro aetate, ſexu, conſtitutione imprimis pro conditione organorum digeſtionis aſſimilationisque, quae ſi vitio quodam affecta ſunt, morbos ſecundarios, hydropem, icterum, ſtagnationes, phyſconia viſcerum et alia provocant. Generatim quotidiana diuturnior quam tertiana eſſe ſolet, imprimis vero quartana in

enses vel annos protrahitur. Quo aequalior et nstantior typus est, quo magis singulae acces-ones certis evacuationibus criticis finiuntur, melior prognosis esse solet; alias enim trans-us in continuam et sequelae febris intermit-ntis supra expositae metuendae sunt.

Cura.

Postquam curam atque remedia, quae con-a febres intermittentes hucusque in usum vo-ta sunt, fusius exposuerim, liceat mihi, non-llas quoque curae methodos, quarum in Cli-co nostro pericula faciendi occasio mihi erat ncessa, paucis adferre.

Omnis cura aut singulas respicit accensiones t universalem morbum,

I. *Cura singularum accessionum, sive cura paroxysmo.* Multum primum interest, ut edicus curet, ne paroxysmus aegrum ventre cupat pleno, alias enim nausea, anxietas prae-rdiorum, ipse vomitus oriuntur, nec non fieri et, ut haec symptomata status gastrici in ipsa yrexia haud intermittant. Ideo simulac pro-omi novae accessiones apparent, omnibus ci-plane abstineat aeger, potusque non nimium uriat. Porro quaecunque ad paroxysmum per-eant, in animum suum non admittat cogitata, rimis tristitiam, vimque deprimentia. Con-vero hilaritatem ut acquirat, operam det, a quidem haud raro contingit, ut febris se-s et mitius accedat, inprimis in curandis fe-bus diuturnioribus et pertinacis indolis, gno commodo erit.

a) *Stadium frigoris.* Simulac horror accedi[t] cubitum eat aeger, et ſtragulis ſe contega[t] non arctis vero, calore alio quocunqu[e] arte producto, ne utatur, quia certe, ho[r]rore non mitigato, noxium ſibi inferre[t] cum ſanguis illo calore ad partes interna congeratur et apoplexia aut catarrhus ſu[f]focaticus oriri poſſint. Itidem ſitis, quae in horrore aegrum magnopere cruciat, ſpasmodicae indoles, quamvis multa ingerantur, haud ſedari poteſt. Ut aliquantum tamen ſatisfiat aegroto, modicae potiones calidae ex floribus ſambuci, chamomillae cum ſucco citri, aut potio Riveri porrigantur.

b) *Stadium caloris.* Quo magis calor incedit, eo magis licebit, aegro potum praebere ptiſanae acidulae huic fini reſpondentis.

c) *Stadinm ſudoris.* Niſi ſudor enormis exiſtit, leni ratione promovendus eſt. Propterea infuſa calida theiformia porrigantur aegro, qui accuratius ſtragulis ſe obligat, ne aër externus frigidior criſin turbet. Poſtquam ſudor omnis evanuit, tum demum ſurgat et munda veſtimenta induat.

Atque haec quidem cura hucusque deſcripta in paroxysmo febris intermittentis ſimplicis ſufficiet, quo plura vero et inſolita vel periculoſa ſymptomata accedunt, eo intenſior etiam ad haec removenda cura eſſe debebit.

II. *Cura morbi univerſalis, quae ad tres omnino indicationes redigenda eſt.*

a) Medicus cujusvis febris intermittentis cau-

ſas perſcrutetur morbosque eam comitantes, omni opera et cauſas remotas tollere ſtudeat. Quo quidem facto atque febre intermittente ad puram formam, morbum mere dynamicum curandum habet. Huic quidem indicationi in apyrexia ſolum ſatisfacere poteſt, quod ipſum quidem haud raro difficile erit, quoniam iſtae cauſae ut plurimum endemicae et epidemicae ſunt. Aliae cauſae in quas agere licet, ſunt

1) *Refrigeratio.* Quae ſi febrem produxit, aeger quamvis temperiei viciſſitudinem evitare ſtudeat, imprimis vero ſudorem ſub finem cujusvis acceſſionis rite foveat.

2) *Indigeſtiones.* Quibus apte dato emetico forſan et evacuante eliminatis ſaepenumero febris prorſus fugatur. Si vero cruditates iterum iterumque oriuntur, organa digeſtionis forſan debilia ſunt, uſum extractorum amarorum et alia roborantia ſibi poſcunt.

3) *Cauſae ſpecificae.* Secretiones et excretiones, exanthemata ſuppreſſa, obſtructiones viscerum, et alia quae ab auctoribus recenſentur. Hac pro diverſa indole incitamenti, quod morbum produxit, remedia adhibeantur, oportet; quod genus ſecretiones et excretiones ſuppreſſas reducemus, reſolventia, humores corrigentia ad indurationes et viscerum obſtructiones in uſum vocabimus.

) Hac indicatione cauſa febris intermittentis proxima typusque tollendus eſt.

c) Morbi progressa febre profecti, ut cachexia, vitii organica, et alii depellantur necesse est.

I. *Febris intermittens simplex.*

Indicatio, quae ab auctoribus hic statuitur in causam proximam, typum ipsum, directa est, quo sublato febris curata est. Jamjam vero quaestio oritur, num febrem intermittentem omnino febrifugis sic dictis liceat protinus ab initio amoveri, an tunc demum, quando per aliquot tempus duraverit? Huic quaestioni satis magni momenti respondere conabor.

Qui putant, febrem intermittentem nimis mature supprimi, itaque organismo noxam exoriri posse, respicient, quae in exponenda febris intermittentis aetiologia dicta sunt. Quod multi statuerunt, febre justo maturius ut dicunt suppressa recidivaene oriantur esse metuendum, tum inprimis est metuendum, ubi febrem diutius durare sinimus. Mox oritur exinde debilitas, atonia partium, constitutio ipsa corporis varie depravatur, et consuetudo enascitur, qua sola affectiones periodicae producantur, febres sic dictae habituales. Ne medicus in alterutra parte in errorem incidat, quae sequuntur leges observet. Febres leves vernales simplices, quae corpus alias integrum accesserunt, cujus apyrexiae purae sine nexu febrifugo removendae sunt, si qua intermittens vero characterem quendam gastricum, nervosum aut synochalem prae se fert, primum complicatio, ut jam supra monitum, removenda est, dein febrifugum facili negotio reliquum morbum curabit.

Omnium remediorum, quae in libris the-
:uticis febrifuga nominantur monente illu-
ſimo Frankio ſummum eſſe et fere unicum,
icem chinae puto. Primum de hoc re-
lio diſſeram et fuſius quidem, de reliquis
:er modo.

Cortex chinae, ſpecificum adverſus febres
rmittentes remedium unicum eſt, qua ra-
e vero ſanitatem reducat, adhuc in tenebris
t, quamvis multae hypotheſes de hac re
docti finxerint. Conditio vero primaria,
qua utilem effectum exhibere non poteſt,
:inetur eo, ut recte digeratur et aſſimiletur,
s ſaepe noxias infert, febremque auget. Ideo
rtet, ut ante chinam adhibendam, omnia
e digeſtionem et aſſimilationem impediant,
oveantur, cujus generis ſunt ſtatus gaſtricus
ımmatorius et alia, quorum ſupra jam men-
facta eſt. Si febris intermittens ab initio
ı eſt, aut ad hanc formam revocata, in apy-
a quotidianae et tertianae adulto homini
— ℥j, in quartanae vero ℥jj porrigendae
. Simulac prodromi novi paroxysmi ince-
t, remedium ſeponendum eſt, donec ſudor
ſus evanuerit, in ipſa acceſſione illud ex-
re tum demum licet, ſi ſummum pericu-
e. c. in maligna inſtat. Quod ad formam
ıet pulvis quidem efficaciſſimus eſt, dum-
o ſit alcoholiſatus recens, et ut facilius di-
tur cum cinnamomo aut alio aromate con-
atur. Si vero nullo modo pulvis convenit,
ıeger oppreſſione, taedio, vomitu afficitur,
infuſum chinae frigide cum aqua menthae
ritae, aut vino Rhenano paratum certe ſa-
:iet, nonnunquam decoctum etiam felici cum

ſucceſſu porrigebatur. Haec doſis chinae ſu definita tam diu magis minusve continuet donec nulla acceſſio redeat, ne horripilatio q dem et pandiculatio illa aut nulla affectio. omnia febris intermittentis ſymptomata ce runt, doſi minori china, forſan etiam for mutata porrigatur, exceptis diebus, quibus roxysmus accedere ſolebat, ſenſim ſenſim doſin minuendo, donec prorſus ſeponenda debitur. Inprimis ne ſeptimo, decimo quart et viceſimo primo recidivus morbus apparea timendum eſt. Haud raro accidit in morbi d curſu, ut chinae alia remedia addenda ſin a) Interdum china obſtructionem alvi offer quae ſi clysmatibus non ex voto removetu rheum addendum eſt, forſan vel ſal ammoni cum aptum fuerit. b) Haud raro contrariu china efficit, diarrhoeam puto, quod malu phaenomenon addito opio tuto quidem recedit tamen ne nimia doſis detur, cavendum e c) Si taedium, oppreſſio vel nauſea oriuntu aut ſpasmi in paroxysmo accedunt, aromatic vel nervina una dare convenit. Indicatio chi nam externe adplicandi forma clysmatis au cataplasmatis vel balnei, ſolummodo adeſt i febribus intermittentibus malignis, aut ſi, u interdum in pueris, et organis digeſtionis vald laeſis, interne dari nullo modo poteſt.

Jamjam obiter mentio adhuc fiat remedio rum, quae loco chinae ad febrem intermitten tem curandam in uſum vocata ſunt.

1) Primum inter haec tenet locum corte Anguſturae, chinae ipſae interdum ante ponendus, quum digeſtioni magis conve nire videatur. Sedulo tamen cavendum

ne anguſtura ſpuria in uſum vocetur, colore nigricanti corticis laminae internae a vera diſtinguenda.

Flores et radix Arnicae inprimis a Stollio laudantur.

Radix cariophyllatae, ſi digeſtio debilis eſt, ob virtutem aromaticam ſtomachicam in uſum vocari poteſt.

Semen Phellandrii aquatici inter multa Chinae ſurrogata eminet, inprimis ſi affectio ſimul pulmonum adeſt; ſucceſſu felici porrigitur cum aromate aliquo.

—6) Corticis ſalicis et hippocaſtani a multis laudantur, Hufeland ſaltem aſſerit, maximam partem febrium intermittentium hoc remedio ſuperari.

—8) Cortex aurantiorum, cascarillae, flores chamomillae, amara pura, ut trifolium fibrinum, centaureum minus, inprimis ſi organa digeſtionis vitio laborant, adhibenda eſſe videntur.

Coffea forma pulveris, coffeae crudae, quamquam a Grindelio primum, dein ab aliis, nunc temporis adhuc ab Ill. Hufelandio laudatur mirum in modum, ut quae nonnunquam chinam ipſam efficacia ſuperaverit, experimenta tamen Ill. Hornii in noſodochio charitatis Berolinenſi in centum et quod ſupereſt, aegrotis accuratiſſime inſtituta, probant, tantum abeſſe, ut coffea majori efficacia quam china polleat, ut potius vix et ne vix quidem leves febres ſimplices curare potuerit.

) Sal ammoniacum. Inprimis in quartana reſpondet, quoniam in ea ipſa ſtatus ga-

ſtricus vel ſtagnationes organorum abdomi-
nalium fere nunquam deſunt.

11) Opium. Quo magis febris intermitte[ns]
characterem induit nervoſum, quo majo[ra]
in ipſo paroxysmo accedunt ſymptoma[ta]
affecti ſyſtematis nervoſi, quo diutius ja[m]
febris protracta eſt, eo feliciori ſucceſ[su]
dari ſolet. Optimum videtur opium un[a]
cum china in apyrexia porrigere.

12) Arſenicum. Prae multis remediis, qua[e]
ſilentio transire me locus monet, arſenic[i]
mentio fiat oportet. Jam ab antiquis tem-
poribus ejus uſus derivandus eſt, ut neote-
rici ſe novum efficaciſſimum remedium
excogitaſſe, falſo glorientur. Inprimis no-
ſtri aevi celeberrimus Heim, qui prae aliis
in morbis dignoſcendis eminet, arſenicum
ad febres intermittentes pertinaciſſimas
curandas laudat, nec infitias ire ullo modo
audeo, ipſum ſat multum et nonnunquam
prae omnibus valere, nihilo minus tamen
quaeſtionem non praetermittere poſſum,
num forte, arſenicum ob vim venenoſam
organismo magis noceat, quam proſit?
numque liceat in tanta copia remediorum,
quorum effectus tutiores ſunt, ad morbum
ſaepiſſime levem curandum, ſubſtantia uti,
cujus effectus in organismum praeter ve-
neficos, nondum experientia ſatis conſtent?

II. *Febris intermittens gaſtrica.*

Gaſtricismus, quo febris intermittens no-
ſtro tempore ſaepiſſime complicata eſt, modo
cauſam conſtituit, modo ſequitur febremque
comitatur. Supra jam dictum eſt, iſtas ſaburras

caufis effe atque ante omnem paroxysmi cu-
n depellendas. Omnino ftatus gaftricus, five
ıfa fit, five febris praegreffae fequela, inpri-
mis refpiciatur. Ubi ftatum fpectamus ad-
e fuburralem, emetica, ubi vero turgefcen-
m in organis abdominalibus, purgantia ad-
ɔenda funt. Polycholia, quae cum febre in-
mittente faepiffime juncta, adaucta ad fupe-
rem ventris regionem venarum turgore ex-
.a, fecundum regulas therapeuticas, febrem
iofam, fpectantes, curanda eft. Qui perti-
cem reddere poteft febrem intermittentem
tus pituitofus, verminofus, qui cum ipfa fe-
e continuatus remediis faepius refiftat, typo
preffo, peculiarem curam requirit. Febres
ermittentes, ftatu atrabiliari pertinaciter
nplicatae, remediis folventibus atque robo-
ıtibus, febris atrabiliariae inftar, priusquam
ırum typus deprimatur, integrae reddantur
ortet.

Fere in quavis febre intermittente magis
nusve, praefertim ab initio, fymptomata ga-
ica adfunt; quo magis vero ex ipfa eminent,
o maturius accedunt et conftanter febrem co-
tantur, eo majori jure complicatio gaftrica
peculiari quadam fpecies febris intermitten-
habenda eft. Prae omnibus gaftricismus ap-
ret in quartana, quae femper fere, cum ftatu
uitofo aut cum vitiis vifcerum abdomina-
m organicis inprimis hepatis, lienisque com-
cata eft. Ut febres intermittentes vere et au-
nno, tempeftate humida et variabili gaftricae
oveniunt, haud fecus febres intermittentes
am eodem tempore eundem fibi induunt cha-
terem, nec non fporadicae ab ipfis indige-

ſtionibus originem ducunt. Quod ad curam attinet, hanc eandem eſſe, quae in remittente gaſtrica exponi ſolet, facile quispiam intelliget.

III. *Febris intermittens inflammatoria.*

Raro occurrit; quartana fere nunquam, tertiana raro, ſaepius vere quotidiana naturam ſthenicam induit, inprimis ſi homines invadit plethora praeditos, juvenes aut puellas, quarum menſtrua nondum ſoluta ſunt, hieme et initio veris, profluviis ſuppreſſis et omnibus aliis momentis, quae febrem ſthenicam provocare poſſunt, ut in paroxysmo diagnoſis febris inflammatoriae ſit. Apyrexia haud integra eſt, pulſus duriusculus manet, ſitis et calor parum mitigantur. In paroxysmo ſaepe ſymptomata exiſtunt, dolores lateris, reſpiratie difficilis, tuſſicula, quibus affectio pleuritica indicatur. Saepius haec ſpecies febris intermittentis mitiori gradu incedit, ubi methodus antiphlogiſtica levis integram febrem reddit intermittentem, quam ſupra nomine febris intermittentis ſimplicis deſignavi. Si ſtatus inflammatorius vehementior ſit, intenſior etiam antiphlogiſtica cura deſideratur, quam vero ulterius exponere me nimis a propoſito abduceret, quamobrem ad alium locum transire melius putavi.

IV. *Febris intermittens nervoſa.*

Diverſae ſpecies, quae in febre nervoſa ſimplici obſervantur, erethismus et torpidus ſtatus gradus mitis et vehemens, nonnunquam typum intermittentem induunt, aut ſi alio modo

aptius deſcribitur, cum paroxysmis febris intermittentis magis minusve ſyſtematis nervoſi affecti incedunt ſymptomata, qualia ſunt dolor capitis, vertigo, ſyncope, pulſus parvus tremulus, deliria, magna laſſitudo, ſubſultus tendinum, ſaepe etiam encephalitis. In ipſa apyrexia plura ſymptomata minori modo vehementia remanent, ut fere febris intermittentis, in quam ut plurimum abit, imago exhibeatur. Quod ad curam attinet, eadem eſt, quae in febre nervoſa fuſius explicatur, inprimis quia plerumque erethismus occurrit, antiſpasmodica Hyoscyamus, Caſtoreum, Moſchus, Opium laudata ſunt.

Ad hoc genus febrium intermittentium malignae, quae dicuntur comitatae omnes recenſendae ſunt. Hujus generis febres ſoporoſae, epilepticae, apoplecticae, quarum poſtremae prae omnibus periculum vitae inferunt. Illud autem ſcire oportet, initio quidem mitiores adparere, et morbo progrediente graviores fieri et periculoſiores. Quoniam vero ſi jam ad intenſiorem aſcenderint gradum, auxilium fere ſemper fruſtra imploratur, videndum eſt, ut jam mature praenoſcantur. Ideo abſoluta acceſſione, quam ſuspectam reddiderat ſymptoma aliquod grave inquirere diligenter medicum oportet, utrum die intermiſſionis ſuperſit linguae ſiccitas, aut inſolita aegri jactatio, inquietudo vel frequens ad ſolamen captandum ſuſpiriorum emiſſio, vel mane vomitu matutino vel intempeſtiva in ſomnum propenſio vel alia ejusmodi, e quibus malignum quoddam in inſidiis eſſe ſuſpicamur. Omnibus vero ſignis praeponendus eſt pulſus, qui, ſi in acceſſione ſymptoma perni-

ciofum adfuit, etiam illo transacto infigniter plus minusve deprimitur pro majore vel minore fymptomatis intenfitate. E contrario vero, fi fymptoma, quamquam gravem fpeciem prae fe ferebat, re vera malignum non erat, arteria valde renititur, compreffaque ftatim refilit et vibrat. Plena vero pulfus defectio fummum atque extremum vitae periculum defignabit, eamque fequetur totius corporis praefertim extremitatum refrigeratio aut livor, facies Hippocratica et poftremo mors. Quamquam natura faepenumero febres intermittentes, modo fimplices, fola curat in hisce tamen malignis prorfus arte et celerrima quidem prudentiffimaque opus eft. Hic cortex peruvianus folus aut cum opio mirum in modum febrem cito et tuto vincit et depellit.

Cura paroxysmi. Ab omnibus fere uno animo opium laudatur. Hoffmannus ad gtt xxv. Laudani liquidi, erhibebat, et vitam fervebat. Nec non alia antifpasmodica in ufum vocata funt, celeberrimus Richter optimos emetici vidit effectus. Si forfan apoplecticus, quod faepe accidit, infultus in paroxysmo aegrum invafit pro natura apoplexiae, vel fanguineae, vel nervofae remedia adhibenda funt; fi deglutire aeger non valet, ut fiftula elaftica inftillitur, in oefopaagum, ftudendum eft, praefertim externe infrictiones, aut cataplasmata, clysmata, balnea antifpasmodica incitantia laudantur. Si in aegro robufto plethorico congeftionum ad caput figna adfunt, fanguis detrahendus eft, hirudines ad proceffum maftoideum adplicentur aut prope canthum oculi internum, tunc vero opium fat caute dandum eft.

Cura apyrexiae. Felix fucceffus in eo vertitur, ut acceffio proxima, quae exitum afferre poteft, quo minus redeat, impediatur. Hoc folum, ut fupra jam monitum eft, cortice chinae adfequimur, quem pro vario intervallo, quod inter unam atque alteram acceffionem intercedit, breviori videlicet, aut longiori, majori etiam aut minori Dosi ad ℥j — ℥j β adhibeamus oportet. Minores dofes chinae tantum abeft, ut acceffionem proximam avertant, ut potius eam augeant et exitum peftiferum adducere poffint. Pulvis chinae fit maximopere alcoholifatus et cum aromatibus porrigatur, quam formam vero fi aeger ferre non poteft, infufum frigidum aut decoctum fubftituenda funt. Hic etiam externa chinae adplicatio locum tenet, in clysmatibus videlicet et fomentationibus, nec non in balneis. In inteavallo fat longe etiamfi magnam chinae quantitatem fumferit aeger, tamen tutius erit, antequam paroxysmus novus intrat, fortem opii dofin porrigere. Si diligentia apta et prudens medici paroxysmi avertat acceffiones, nihilominus tamen china non feponenda, fed ejus ufus continuandus eft, donec omnes aegroti vires redierint, omnisque febrilis fames exftincta fit.

Tentamina in noftro Clinico de pluribus recentioris temporis curae methodis inftituta.

Quod in hujusce libelli prooemio promiferam, reftat mihi ut ea commemorem, quae, fumma cum cura tentata, efficaciffima vifa fint remedia. Confilia, quae pericula facientes perfequebamur, ea erant, ut ex ipfa natura quae-

reremus, utrum praeter chinam adeſſent remedie paroxysmum et ipſum typum illius inſtar depellentia; quem omnino iſta propter chinam locum occuparent; maximis quae hucusque chinae doſis adhibebantur opus eſſet curandis febribus intermittentibus; variarumque adhuc adhibitarum quae eſſet methodus optima, rebus quam maxime conſentanea; denique utrum china praeferenda eſſet, an chininum.

I. Quamquam china omnium remediorum diu cognita eſt optimum, forma tamen, qua ad noviſſimum usque tempus adhibita eſt, partim quod nimia quantitate porrecta ventriculum mole, partim plebem inopem magnis onoraret ſumptibus, perpluria vitare non potuit impedimenta. Itaque a recentiori tempore gratiſſimam hanc habeamus corticis chinae adhibendi methodum.

Adhibito emetico, chinae regiae drachma in tres partes diviſa aegroto ita porrigenda eſt, ut primam doſin exoriente paroxysmo, alteram ſub ingreſſu ſtadii caloris, tertiam poſt hoc caloris ſtadium ſumat. Hanc methodum, in noſtro clinico fauſtiſſimo cum eventu ſemper tentatam, omnibus aliis fere praeſtare cenſeo, quod eo ſatis comprobatur, quod noſocomii aegrotorum index ſeptuaginta duos febre intermittente laborantes intra quinque menſes ex toto ſanatos eſſe demonſtret.

II. *Chininum ſulphuricum*, de quo omnes optime ſperaverant, exſpectationes deſtituiſſe videtur; quo cum febris intermittentis typus ſine recidivis rarius extingueretur, non unica eſſe

videtur materia, quam chinae cortex contineat febrifuga. Sed ne haec in errorem ducat sententia, addendum puto, plura nos docuiſſe experimenta, quam adhibita china, chininum porreximus, hoc proſperrime ſaepius reſpondere, ita ut quaedam morbi conditiones videantur reſpiciendae, quibus chininum ipſi chinae praeferendum ſit; e quo quidem facto colligi poteſt, china fruſtra adhibita, chininum proſperrimo ſaepius ſucceſſu porrigi poſſe.

III. Tertia chinae adhibendae methodus in eo conſiſtit, ut duo ad tria chinini ſulphurici grana, ventriculi loco, emplaſtro veſicatorio antea excoriato, per digitos infricentur, quo facto ulcus apparere, nec ante ſextum diem ſanari ſolet, aut ſex diebus citius ſanato, febris intermittens non tollitur.

Inprimis illa methodus, qua Clinico noſtro viginti quinque aegroti, quorum plures ad annum quindecimum aetate jam progreſſi erant, licet nonnulli fruſtra curarentur, ſanati ſunt, in infantibus commendari poteſt.

IV. Pauca piperini pericula, quae noſtro Clinico facta ſunt, vim illius febrifugam affirmare videntur. Nonnulli enim, qui febre tertiana vel tertiana duplicata vel quotidianis laborarunt, tribus piperini granis ſanati ſunt.

V. *Ferro hydrocyanico* quinquaginta quinquinque febricitantes bono cum ſucceſſu curati ſunt. Cura ab emetico nunquam non incepta, granis quatuor ad octo ferri hydrocyanici cum ſaccharo, exceptis, paroxyſmi acceſſionibus,

omni bihorio aegrotis ſunt porrecta. Poſt tertiam paroxysmi acceſſionem, dum ferrum hydrocyanicum adhibebatur, pulvere modo dicto aegrotus ſingulis horis uſus eſt; poſt quartam paroxysmi acceſſionem, reiterato emetico, eosdem pulveres doſis febricitantibus dare perreximus. Qui quinta vel ſexta recidiva laboraverant, omnes illi aegroti, chinae pulvere ad unam drachmam porrecto, ſanati ſunt. Ferrum hydrocyanicum primo omnino et poſt primas quidem doſes frigoris ſtadium, niſi quod caloris ſtadium deminueretur, abbreviavit. Frigoris ſtadio ſecunda vel tertia febris acceſſione ad dimidiam vel tertiam temporis redacta, frigoris quoque ſtadium decreſcere incipit. Febres intermittentes, quae ſubito rariſſime depelli potuerant, ſenſim ſenſimque evanuerunt, ita ut leves tantummodo membrorum tenſiones atque tenues poſtremo apparerent, tempore typi recidivi ſolito, horrores quos pro veris paroxysmi acceſſionibus non cenſui eſſe habendos.

VI. Ultima, quibus plebs ſaepiſſime febres intermittentes ſe ſanaſſe affirmat, methodus mere pſychica, quamquam ad noſtra nön pertinebat pericula, digna mihi tamen videtur, quae commemoretur. Ex aetiologia noſtra elucet proximam febris intermittentis cauſam dynamicam adeoque eam eſſe, in quam affectiones pſychicae vim habeant proximam. Quam ſententiam, ipſi naturae conſentaneam retinentibus, non mirum nobis videbitur febres intermittentes puras ipſa fide, ſaepiſſime depulſas eſſe, apud eos, quos inferiori captu praeditos levi fide laborare ſcimus; infantes vero, omnis

ıptus et fidei expertes nemo dixit magicis iſtic ırmulis eſſe febribus ſanatos. Ex quo colliatur oportet, eſſe factoris dynamici ſtimulum, de exortum, qui febrem ita depellere poſſit.

Jam ad terminum propoſitum opus meum erfeci, nihilque ſuper eſt, niſi ut vos lectores, erum iterumque rogem, ut quae vires tirois praeſtare potuerint, benevole accipiatis atue judicetis.

CURRICULUM VITAE.

Ego Erneſtus Leopoldus Eſſiger, confeſſioni Lutherianae addictus, natus ſum Lubbenae, oppido Luſatiae inferioris, patris Joſepho Erneſto, Lycei magiſtro tertio, matre Johanna Carolina e gente Kühniana, quos optimos parentes, Dei gratia et benignitate mihi ſervatos, ad ultimum usque vitae ſummum pio animo venerabor. Pater a tenera jam aetate mea qualemcunque in puero indolem excolere ſtuduit. Anno 1808, linguae latinae atque graecae rudimentis poſitis, Lyceum, quod Lubbenae floret, frequentare coepi. In quo per ſeptem annos audivi Suttingerum rectorem et Weiskium Pauliumque conrectores, quorum cura et diligentia ſatis mihi dabatur copiae, ut omnia mihi compararem, quae ad univerſitatem literariam frequentandam requiruntur. Ipſe revera nullo modo, quod doctis hisce viris debeam, verbis reddere poſſum.

Anno 1815 adii Academiam Lipſienſem, cujus civibus ab Ill. Beckio, t. t. Rectore magnifico adſcriptus his interfui ſcholis. Erudiverunt me Ill. Schwaegrichen in phytologia, zoologia et mineralogia. Ill. Puchelt in encyclopaedia et methodologia medica, in pathologia; Ill. Roſenmueller et Bock in anatomia cum theoretica

m practica; Ill. Gilbert in chemia et physice; Ill. latner in physiologia. Dein rebus pharmaceuticis apud l. Eschenbach, pharmacologicis et therapeuticis apud l. Haase, arti obstetriciae apud Ill. Joerg, chirurgiae ud Ill. Kuehn, psychologiae apud Ill. Heinroth' ilosophiae et medicinae forensi apud Ill. Platner omne ıdium impendi.

Anno 1817 universitatem Lipsiensem cum Berolinensi mmutavi et ab illustri Linkio, Rectore magnifico, ter cives academicos receptus, Rudolphii et Knapii aelectionibus interfui de anatomia practica, Sieboldii Klugii de arte obstetricia, Wolfahrtii de semiotica, raefii de chirurgia, Klugii de fracturis et luxationibus, ufelandii de therapia generali et speciali, Behrendi de therapia febrium, Formeyi de inflammationibus, ornii de morbis syphiliticis, Rustii de cursu operaonum chirurgicarum. Schola clinica Behrendsii, ornii et Rustii frequentavi. Dolendum vero, quod mesticis rationibus coactus fuerim discedere ab illa mecae artis sede celeberrima, compluresque annos in patria :be desidere.

Quum moram aegre ferrem, simulatque copia data set redeundi, denuo Berolinum anno 1828 profectus ab l. Bethmann Hohlweg Rectore civibus academicis lscriptus, his interfui lectiouibus: Therapiam generalem specialem me docuit Ill. Wolfahrt ejusdemque clinim ambulatorium frequentavi; usus sum praeceptoribus eleb. Siebold in arte obstetricia, Ill. Casper morbos fantum docente, Ill. Horn morbos psychicos.

Anno 1829 Gryphiam adii et ab Ill. Niemeyer Reore, in civium academicorum numerum receptus sum. stitutiones, quibus usus sum, hae sunt: Ill. Rosenthal urologiam et angiologiam mihi demonstravit; Ill. Warkros de medicina forensi differentem audivi; Ill.

Berndt pathologiam, therapiam me docuit generalem specialemque, morbos infantili aetati proprios, artem obstetriciam; Ill. Seifert fracturas mihi exposuit et luxationes, atque disputatorio ab eo instituto, gavisus sum. Ill. Mandt cursum operationum docentem audivi. Clinico medico et obstetricio dux mihi fuit Ill. Berndt; in Clinico chirurgico ophthalmiatrico duces mihi fuerunt primo Ill. Berndt, postea Ill. Mandt.

Tentamine atque examine rigoroso feliciter superatis, dissertatione thesibusque rite defensis, summi, spero fore, ut in me conferantur et medicinae et chirurgiae honores.

THESES DEFENDENDAE.

Sunt metastases materiales.

. Hypochondria differt ab Hysteria.

I. Affectiones psychicae in morbos organismi excitandos et curandos magnam vim habent.

V. Physiologia ad medicum, quam ad alium, magis spectat.

. Possunt febres intermittentes purae curatione psychica abigi.

I. Icterus non solum e bile oritur resorpto.